de summo ad lunam usque perveniunt · sacra incorrupta · divina sunt · quia in ipsis est aether semper idem · nec umquam
recipiens inaequalem varietatis aestum; Infra lunam et aer et natura permutationis pariter incipiunt; Et sicut
aetheris et aeris · ita divinorum et caducorum luna confinium est; Quod autem ait nihil infra lunam esse divi
num praeter animos munere deorum · hominum generi datos · non ita accipiendum est animos hic esse · ut hic nasci
putentur · Sed sicut solem in terris esse dicere solemus cuius radius advenit et recedit · ita animorum origo ce-
lestis est · sed lege temporalis hospitalitatis hic exulat; Haec ergo regio divinum nihil habet ipsa sed
recipit; Et quia recipit et remittit; Proprium autem habere diceretur · si ei semper tenere licuisset; Sed quid
mirum si animus de hac regione non constat · cum nec corpori fabricando sola suffecerit; Nam quia
terra · aqua et aer infra lunam sunt · ex his solis corpus fieri non potuit · quod idoneum esset ad vitam · sed opus fuit
praesidio ignis aetherii qui terrenis membris vitam et animam sustinendo conmodaret · vigorem qui
vitalem calorem et faceret et ferret; Haec de aere dixisse nos satis sit; Restat ut de terra quae spherarum nona
et mundi ultima est dictu necessaria disseramus; Nam ea quae est media et nona tellus inquit · neque movetur
et infima est · in eam feruntur omnia nutu suo pondera; Illae vero insolubiles causae sunt · quae mutuis invicem
nexibus vinciuntur; Et dum altera alteram facit · ac vicissim de se nascuntur · numquam a naturalis societatis
amplexibus separantur; Talia sunt vincula quibus terram natura constrinxit; Nam ideo in eam feruntur
omnia quia ut media non movetur; Ideo non movetur · quia infima est; Nec poterat infima non esse · in quam omnia
feruntur; horum singula quae inseparabiliter involuta rerum in se necessitas vinxit · tractatus expediat;
Non movetur ait; Est enim centron; In sphera autem solum centron diximus non moveri · quia necesse est ut circa aliquid
inmobile sphera moveatur; Adiecit · infimam esse; Recte hoc quoque; Nam quod centron est · medium est; In sphara
vero hoc constat solum imum esse · quod medium est; Et si ima est · sequitur ut vere dictum sit in eam ferri omnia; Semper enim
pondera in imum natura deducit. Nam et in ipso mundo ut terra esset · sic factum est; Quicquid ex omni
materia de qua facta sunt omnia purissimum ac liquidissimum fuit · id tenuit summitatem et aether vocatus
est; Pars cui minor puritas et inerat aliquid levis ponderis aer extitit · et in secunda delapsus est.
Post haec quod adhuc quidem liquidum sed iam usque ad tactus offensam corpulentum erat · in aquae fluxum
coagulatum est; Iam vero quod de omni silvestri tumultu · vastum inpenetrabile densatum · ex defecatis abrasum re-
sedit elementis haesit in imo · quod demersum stringente perpetuo gelu; Quod eliminatum in ultimam mundi
partem longinquitas solis coacervavit; Quod ergo ita concretum est · terrae nomen accepit; Hanc spissus aer · et terreno
frigori propior quam solis calori · stupore spiraminis densioris undique fulcit et continet in universum; Nec
in recessum aut accessum moveri eam patitur vis circumvallantis et ex omni parte vigore simili libran-
tis aurae · et ipsa sphaeralis extremitas; Quae si paululum a medio deviaret · fit cuicumque vertici propior
et imum relinquit; Quod ideo in solo medio est · quia ipsa sola pars a quovis sphaerae vertice pari spacio
recedit; In hanc ergo quae et ima est · et quasi media et non movetur quia centron est · omnia pondera ferri
necesse est · quia et ipsa in hunc locum quasi pondus relapsa est; Argumenta sunt cum alia innumera tum prae-
cipue imbres · qui in terram ex omni parte aeris labuntur; Nec enim in hanc solam quam habitamus superficiem
decidunt · sed et in latera quibus in terra globositas sphaeralis efficitur; Et in parte altera quae ad nos
habetur inferior · idem imbrium casus est; Nam si aer terreni frigoris exhalatione densetus in nube cogitur ·
et ita abrumpit imbres · Aer autem universam terram circumfusus ambit · procul dubio ex omni aeris parte
praeter ustam calore perpetuo · liquor pluvialis emanat · qui undique in terram · quae unica sedes est ponderum de-
fluit; Quod qui respuit · superest ut aestimet extra hanc unam superficiem quam incolimus · quicquid nivium
imbriumve · vel grandinum cadit · Hoc totum in caelum de aere fluere; Caelum enim ab omni parte terrae aequa-
biliter distat · et ut a nostra habitatione · ita et a lateribus et a parte quae ad nos inferior habetur · pari
altitudinis inmensitate suspicitur; Nisi ergo omnia pondera ferrentur in terram · imbres qui extra

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

HESSEN
Staatliche Schlösser
und Gärten Hessen

UNESCO
Organisation der
Vereinten Nationen für
Bildung, Wissenschaft,
Kultur und Kommunikation

Kloster Lorsch
Welterbestätte
seit 1991

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_1341/0166